

EPISTULA LEONINA

CXXVII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM VICESIMAM SEPTIMAM (127) !



Quamvis sint sub aquâ, sub aquâ maledicere temptant

OVIDIUS, Metamorphoses 6,376

ARGUMENTA

1. MOMO FABULA MICHAELIS ENDE LATINE REDDITA (IV).....04-11
 2. VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (II).....12-16

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
 SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
 centesimam vicesimam septimam.*

*Hac in Epistolâ duas Tibi textûs praebeo novos legendos, unum
 fabulosum, alterum lexicographicum. Unus enim est pars quarta fabulae
 Momonis a me tunicâ indutae. Alter textus est index vocabulorum, quae
 spectant ad artes et architecturam. Subest ingens inceptum lexici
 neolatini condendi. Utinam ne hoc perficiatur Kalendis Graecis. Candida
 Lectrix, Candide Lector, fave operi omnibus amicis Latinitatis Vivae
 gratissimo.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 127 tolle et lege et laetare
 et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat
 Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS
 Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 die Dominico, 26. m. Mart., a.2017**

MOMO (IV)

**aut fabula mirabilis, qua narratur de furibus temporis
deque puellâ, quae hominibus tempus reportavit**



FABELLARIS FABULA ROMANICA

QUAM THEODISCE NARRAVIT

MICHAEL ENDE

LATINE REDDIDIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

Prima editio operis originalis facta est a.1973.

CAPITULUM QUARTUM

Senex taciturnus et iuvenis linguâ promptus

Etiam si quis habet permultos amicos, tamen inter eos semper sunt nonnulli pauci, qui ei sunt perquam familiares atque carissimi. Tales etiam fuerunt inter amicos Momonis.

Momoni enim fuerunt duo amici omnium optimi, qui cottidie ad eam veniebant et cum eâdem communicabant quaecumque habuerunt. Alter fuit iuvenis, alter senex. Nec Momo dicere scivit, utrum magis diligeret.

Senex vocabatur Iosephus scoparius¹. Nescio an ei reverâ fuerit aliud nomen gentilicium, sed cum officium gereret scoparii ideoque talis vocaretur ab omnibus, ipse quoque se talem vocabat.

Iosephus scoparius prope amphitheatrum habitabat in casâ, quam ipse suâ manu construxerat ex lateribus, metallicis laminis undulatis, chartis spissis tectoriis. Qui vir cum esset staturâ solito minore et incedere soleret dorso aliquantulum inclinato, Momonem magnitudine parum superabat. Iosephus autem caput suum magnum, in quo câni capilli breves stabant erecti, semper tenebat aliquatenus obliquum; eius nasus parvo perspicillo erat instructus.

Nonnulli homines opinabantur Iosephum scoparium aliquatenus esse mente captum. Hoc eo effectum est, quod Iosephus interrogatus clementer subridens nihil respondebat. Nam deliberabat. Si ei videbatur responsum non esse necessarium, tacebat. At si quid ducebat necessarium, de responso dando deliberabat. Hoc interdum fiebat per duas horas, interdum etiam per integrum diem, usque dum aliquid respondebat.

Interim quia alter scilicet obliviscebatur, quid rogavisset, verba Iosephi illi videbantur mira.

Nemo nisi Momo tam diu exspectabat et intelligebat, quid Iosephus diceret. Quae puella scivit illum tanto spatio ûti ad respondendum, ne quid umquam diceret non verum. Nam Iosephus sensit omnes miseras huius mundi effici multis illis mendaciis consulto effictis, sed etiam inconsulto dictis, quae non exoriuntur nisi properando aut negligendo.

¹ orig. ital. *Beppo Straßenkehrer*.

Iosephus omni mâne diu ante primam lucem vetustâ birotâ quiritanti in urbem vectus est ad magnum aedificium. Ibi in aulâ unâ cum collegis exspectabat, usque dum sibi darentur scopae et carrus sibi que attribueretur certa via verrenda.

Iosephus amabat has horas antelucanas, quibus urbs adhuc dormiebat. Necnon opus suum faciebat libenter atque subtiliter. Scivit enim hoc opus esse valdê necessarium.

Cum vias verrebat, hoc faciebat lentê, sed continuo: omni gradu semel spirabat, omni spiritu scopas semel movebat.

Gradi – spirare – scopas movere. Gradi – spirare – scopas movere. Interea Iosephus interdum paulisper consistebat prospiciens cogitabundus. Deinde denuo pergebat gradi – spirare – scopas movere

- - -

Cum Iosephus se huc illuc movebat viâ sordidâ antepositâ, purâ postpositâ saepe magnae eum subibant cogitationes. At eadem erant cogitationes verborum expertes, cogitationes, quae cum aliis tam difficile communicari poterant quam certa aliqua fragrantia, quam aliquatenus tantum memoriter tenes, aut aliqui color, de quâ somniavisti. Opere finito Iosephus iuxta Momonem sedens eidem explicabat magnas cogitationes suas. Cum autem Momo more suo speciali auscultaret, Iosephus linguâ solutâ inveniebat verba apta atque commoda.

»Viden’, Momo« verbi gratiâ inquit »res sic se habet: Interdum via ante te sita est valdê longa. Cogitas eandem esse longitudine terribili: istam ut totam everreas numquam assequêris.«

Aliquamdiu Iosephus prospexit ante se, deinde perrexit loqui: »Deinde incipies properare. Et properabis etiam atque etiam. Quandocumque suspicis, vides ea, quae tibi anteposita sunt, non fieri pauciora. Deinde etiam vehementius laboras, timore afficeris, et denique prorsus exanimatus non iam vales pergere. At via adhuc ante te iacet non purgata. Sic res tibi non succedit.«

Iosephus aliquamdiu deliberavit. Deinde perrexit loqui: »Numquam licet uno momento temporis cogitare de totâ viâ, intellegisne? Oportet ut tantummodo cogites de gradu proximo, de spiritu proximo, de proximo motu scoparum. Necnon semper tantum de proximo.«

Denuo constitit et deliberavit, antequam addidit verba haec: »Si ita feceris, gaudebis; hoc multum valet, nam sic rem bene facis. Sic autem fiat.«

Novâ autem pausâ interpositâ Iosephus perrexit loqui: »Subito animadvertis te gradatim atque pedetemptim verrisse totam viam. Omnino non animadvertisti, quomodo hoc faceres nec es exanimatus.« Iosephus annuens denique dixit: »Hoc multum valet.«

Alio autem tempore vênit, tacitê consêdit iuxta Momonem; quae vidit eum deliberare et aliquid dicturum esse perquam extraordinarium.

Oculis Momonis inspectis subito Iosephus coepit dicere: »Nos recognovi.« Longâ pausâ interpositâ loqui perrexit voce submissâ: »Hoc interdum fit – meridie, cum fervore omnia dormiunt. – Tum mundus fit pellucidus. – Tamquam fluvius, intellegisne? – Tum fieri potest, ut perspicias usque ad fundum.«

Annuit et paulisper tacuit, deinde etiam submissius dixit: »Ibi alia tempora sita sunt, ibi in fundo.«

Denuo diu deliberavit verba apta quaerens. At eadem nondum visus est invenisse, nam subito rem explicuit tenore perquam solito: »Hodie verriturus fui ad moenia vetusta. Ibi muro insunt quinque lapides coloris diversi. Hôc modô, intellegisne?«

Digito autem harenae inscripsit magnam litteram T. Quam capite obliquo aspiciens subito susurravit: »Illos lapides recognovi.«

Alterâ pausâ interpositâ perrexit loqui haesitanter: »Illa tempora fuerunt alia, illa, quibus moenia sunt aedificata. – Multi illic laboraverunt. – At duo adfuerunt, qui illos lapides moeniis imposuerunt. – Qui fuerunt signum, intellegisne? – Quod ego recognovi.«

Manu oculos permulsit. Visus est loquendo se fatigare, nam cum nunc pergeret loqui, verba eius sonabant laboriosê êdita. »Illi duo illo tempore aspectu fuerunt alio, illi duo aspectu prorsus alio.« Deinde tono finali paene iratus edidit verba haec: »At nos recognovi - te et me. Ego nos recognovi!«

Ne vituperes, quod homines subridebant Iosephum scoparium sic loquentem audientes, necnon quidam homines post Iosephum euntes digitum fronti impellebant (quo gestu dicebant illum esse mente captum). At Momo Iosephum dilexit omniaque verba eius animae suae mandavit.

Alter autem amicus Momonis optimus fuit iuvenis et omni ratione distulit a Iosepho scopario. Qui fuit bellus catulaster, oculis somniosis,

at linguâ incredibiliter promptus. Qui semper erat iocosus apinisque deditus tamque leviter cachinnabat, ut volens nolens vix quisquam non posset, quin ipse corrideret. Eius amici nomen fuit Hieronymus, sed îdem brevius vocabatur Hiero¹.

Cum Iosephum vetulum secundum professionem denominaverimus, de Hierone idem faciamus, quamvis ei omnino non vera fuerit professio. Ergo eundem appellemus monstratorem. At, ut dixi, monstratio urbis, id est ductus peregrinorum, nihil fuit nisi una ex multis professionibus, quas Hiero per occasionem exercebat, nec fuit professio officialis.

Unica res, quâ Hiero egebat ad hoc negotium agendum, fuit pileus umbellatus². Cum reverâ aliqui peregrini per errorem in hanc regionem venerant, Hiero eundem pileum capiti imponebat. Deinde vultu gravi illos accedens pollicebatur se illos circumducturum esse illisque omnia explicaturum. Peregrini cum annuerant, Hiero incipiebat omnia narrare ab ovo usque ad mâla. Qui eventûs, nomina, numeros annorum non veros, sed mente confictos tam cito enumerare non desinebat, ut miseri auditores vehementer perturbarentur. Nonnulli animadvertentes se ab Hierone deruncinari indignati abibant, sed plerique omnia vera ducentes pecuniam numerato solvebant, cum Hiero denique pileum umbellatum protendebat.

Homines, qui in circumiectis habitabant, de Hieronis fabellis ficticiis ridere solebant, sed interdum vultûs sollicitê contorquentes dicebant hanc rem propriê non licere, quod aliquis bonam pecuniam acciperet pro rebus, quae non essent reverâ factae, sed mente tantum confictae.

Deinde Hiero: »At talia« inquit, »faciunt omnes poetae. Nonne homines aliquid acceperunt pro pecuniâ suâ? Dico vobis illos ea ipsa accepisse, quae voluerant! Et quid rêfert, utrum haec omnia inscripta sint libro docto an non? Quisnam certo scit, num fabulae libris doctis inscriptae non etiam mente confictae sint? Fortasse tales sunt, sed hoc nemo iam scit?«

Alio tempore Hiero dixit: »Ah, quidnam est verum, quidnam non est verum? Quisnam certo scit, quid hîc loco ante mille aut duo milia annorum factum sit? Num vos hoc scitis?«

»Nescimus« alii responderunt annuentes.

¹ orig. ital. *Girolamo - Gigi*

² orig. *Schirmmütze*.

»En rem acu tetigistis!« Hiero monstrator vocavit. »Si ita est, quidnam contenditis fabellas meas non esse veras? Forte fortunâ acciderit, ut ipso hōc modo reverâ fieret. Si ita fuit, ego dixi veritatem purissimam!«

Difficile erat hoc argumentum refutare. Verum enim vero, haud facile erat superare Hieronis linguam celerem et exercitatum.

Cum autem proh dolor rarissimê tantum fieret, ut venirent peregrini amphitheatrum visuri, necesse erat Hieronem saepe alia quoque officia gerere. Occasione oblatâ Hiero areas stativas custodiebat, connubia testificabatur, canes circumducebat, epistulas amatorias afferebat, funerum erat particeps, mnemosynas commercabatur, pabulum cattarum vendebat, et multa alia officia gerebat.

At Hiero somniabat se aliquando factum iri illustrem atque divitem. Se habitaturum esse in domo pulchritudinis fabulosae viridario circumdatâ; se comesurum esse e catinis inauratis, se dormiturum esse in pulvinis sericeis. Necnon videbat se ipsum esse solem gloriâ suâ futurâ splendentem, cuius radiis ipse, quamvis adhuc esset egenus, iam nunc quadamtenus e longinquo calefieret.

Hiero autem clamavit »Equidem hoc assequar! Vos omnes aliquando somnia mea recordabimini!«

At quomodo hoc assequi vellet, ipse dicere non valebat. Nam labor durus industriaque indefatigabilis Hieroni parum placebant.

Hiero Momonem allocutus: »Hōc modo« inquit »res non commodê fit. Hōc modo dives fiat quicumque vult. – En aspice istos, quo sunt aspectu, qui pro aliquantulo opulentiae vendiderunt vitam suam animamque! Non, sic non agam, non isto modo. Quamquam saepe minus habeo pecuniae, quam ut solvam pro pocillo cafeae – tamen oportet Hiero maneat Hiero!«

Propriê cogites prorsus non fieri potuisse, ut duo homines, qui tam diversê cogitarent de mundo deque vitâ, quam Hiero monstrator et Iosephus scoparius, inter se amicitiam contraherent. Tamen hoc factum est. Mirum in modum unicus homo, qui numquam vituperaret Hieronis levitatem, fuit ipse Iosephus vetulus. Nec minus mirum fuit, quod ipse Hiero linguâ promptissimus, qui unicus mirum Iosephum vetulum numquam irrideret.

Nescio an hoc quoque effectum sit modo illo singulari, quo Momo parvula sermonem illorum auscultabat.

Nemo illorum trium hominum suspicatus est amicitiam suam iam mox quadamtenus obscuratum iri quadam umbrâ. Nec solum amicitiam suam obscuratum iri, sed totam regionem – idque effectum umbrae, quae etiam etiamque augebatur et iam nunc obscura atque frigida per magnam urbem diffundebatur.

Haec umbrae diffusio aliquatenus fuit expugnatio insonus atque insensibilis, quae cottidie progrediebatur quamque nemo arcebat, quia nemo eam recte animadvertibat. Expugnatores autem – qui homines fuerunt?

Ipsae quoque Iosephus vetulus, qui nonnulla videbat, quae alii non videbant, non animadvertit Dominos Griseos, qui in dies numerosiores in magna urbe circumvagantes videbantur indefessè occupati esse. Tamen nequaquam erant invisibiles. Videbantur – tamen non visi sunt. Qui Domini more mysteriali sciebant se reddere minus notabiles, quam ut animadverterentur aut aspecti memoriae mandarentur. Itaque Domini Grisei eo ipso, quod se non abdebant, laborare poterant secreto. Cum autem a nemine animadverterentur, scilicet nemo quaesiverit, unde illi venissent et adhuc venirent, nam in dies fiebant plures.

Qui Domini in viis vehebantur griseis autocinetis elegantibus, in omnes domos ibant, sedebant in omnibus cauponis. Saepe iidem aliquid inscribebant codicillis.

Qui fuerunt Domini, qui integri vestiti erant vestimentis coloris telarum aranae. Ipsae eorum facies similes erant cineri griseo. Qui in capitibus gerebant petasos rigidos rotundosque et fumabant parva sigara cinerea. Omnis eorum semper secum gerebat chartophylacium coloris plumbei. Hiero quoque monstrator non animadverterat complures iam Dominos istos aliquoties pervagatos esse regionem circa amphitheatrum sitam pervagantes nonnulla codicillis inscripsisse.

Nemo nisi Momo animadverterat illorum Minorum umbras aliquo vespere in margine parietinarum supremo apparentes. Qui signis inter se ostensis capitibusque collatis videbantur consulere. Nihil ex illis auditum erat, sed Momo subito tanto frigore correpta erat, quanto numquam antea. Nec expedivit se firmiter involvere magnae iaccae astrictae.

Deinde Domini Grisei abierant et inde non iam apparuerant.

Hôc autem vespere Momo non ut antea audiverat modos illos musicos submissos, tamen ingentes. At postridie vita agi perrexerat ut semper nec Momo perrexit cogitare de miris visitoribus. Puella quoque illos erat oblita.

FABULAM MOMONIS A MICHAELE ENDE CONSCRIPTAM

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (II)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum decimam, quae spectat ad res accessorias. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM –
IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII. AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX. VESTIMENTA – X. RES ACCESSORIAE
PERSONALES – XI. ARTES ET ARCHITECTURA –
XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA –
XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem **ARTIUM ET ARCHITECTURAE secundam (II)** vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	LATINĒ
ARCHI-TEKTUR	ARCHI-TECTURE	ARCHI-TECTURE	ARQUI-TECTURA	ARCHITETTURA	architectūra , -ae f.
p.402 Pyramide	pyramid	pyramide	pirámide	piramide	pýramis , -idis f.
Luftschacht	air shaft	conduit d'aération	conducto de ventilación	canale di aerazione	canālis ventilātiōnis
Große Galerie	Grand Gallery	grande galerie	Gran Galería	grande galleria	porticus māgna
aufsteigender Gang	ascending passage	couloir ascendant	pasadizo ascendente	corridoio di salita	andrōn ascendēns
Eingang	pyramid entrance	entrée de la pyramide	entrada de la pirámide	ingresso alla piramide	introitus pýramidis
absteigender Gang	descending passage	couloir descendant	pasadizo descendente	corridoio di discesa	andrōn dēscendēns
Grabkammer der Königin	queen's chamber	chambre de la reine	cámara de la reina	camera della regina	conclāve rēgīnae
Gang	shaft	puits	pozo	condotto	andrōn , -ōnis m. ; faucēs , -ium f.pl.
unterirdische Kammer	underground chamber	chambre souterraine	cámara subterránea	camera sotterranea	conclāve subterrāneum
Grabkammer des Königs	king's chamber	chambre du roi	cámara del rey	camera del re	conclāve rēgis
Entlastungsraum	relieving chamber	chambre de décharge	cámara de descarga	camera di scarico	conclāve deonerandī
Griechisches Theater	Greek theatre	théâtre grec	teatro griego	teatro greco	theātrum graecum
Bühne	stage	plateau	platea	palcoscenico	platea , -ae f.
Bühnenhaus	scene	scène	escenario	scena	scaena , -ae f.
Schauspieler- eingang	actors' entrance	entrées des acteurs	entrada de actores	ingresso degli attori	introitus histriōnum
Orchester	orchestra	orchestre	orquesta	orchestra	orchestra , -ae f.
Publikums- eingang	public entrance	entrée du public	entrada de público	ingresso del pubblico	introitus spectātōrum
Ränge	tiers	gradins	cávea	cavea	cavea , -ae f.
p.403 Griechischer Tempel	Greek temple	temple grec	templo griego	templo greco	templum graecum
Kranzgesims	cornice	corniche	cornisa	cornice	corōna , -ae f.
Fries	frieze	frize	friso	fregio	zōphorus , -ī m.
Architrav	architrave	architrave	arquitrabe	architrave	epistýlium , -īī n.
Gebälk	entablature	entablement	entablamento	trabeazione	contīgnātiō , -ōnis f.
Säule	column	colonne	columna	colonna	columna , -ae f.
Krepis	crepidoma	crépis	crepidoma	crepidine	crēpis , -idis f. crēpidoma , -atis n.
Peristyle	peristyle	péristyle	peristilo	peristilio	peristýlium , -īī n.
Stylobat	stylobate	stylobate	estylóbato	stilobate	stýlobatēs , -ae m.
Euthynterie	euthynteria	euthynterie	euthynteria	euthynteria	euthyntēria , -ae f.
Rampe	ramp	rampe	rampa di acceso	rampa	agger , -eris m.
Gitter	grille	grille	reja de entrada al pronaos	inferriata	cancellī , -ōrum m.pl.
Pronaos	pronaos	pronaos	pronaos	pronaos	prōnāus , -ī m.
Naos	naos	naos	naos	naos	nāus , -ī m.

Stirnziegel	antefix	antéfix	antefija	antefissa	tēgula antefīxa
Ziegel	tile	tuile	cubierta de tejas	tegola	tēgula, -ae f.
Balken	roof timber	charpente	armazón de madera	trave en legno	trabs tēctī
Akroterion	acroterion	acrotère	acrotera	acroterio	acrōtērion, -īī n.
Tympanon	tympanum	tympan	tímpano	timpano	tympanon, -ī n.
Giebeldreieck	pediment	fronton	frontón	frontone	+frontispicium, -īī n.
Schräggeison	sloping cornice	rampant	alero	cornice inclinata	corōna inclināta
Grundriss	plan	plan	piano	pianta	ichnographia, -ae f.
Krepis	crepidoma	crépis	crepidoma	crepidine	crēpis, -idis f. crēpidoma, -atis n.
Pronaos	pronaos	pronaos	pronaos	pronaos	prōnāus, -ī m.
Naos	naos	naos	naos	naos	nāus, -ī m.
Standort des Kultbildes	location of the statue	emplacement de la statue	ubicación de la estatua	posizione de la statua	locus statuae
Opisthodomos	opisthodomos	opisthodomos	opistodomo	opistodomo	opisthodomus, -ī m.
Peristyle	peristyle	péristyle	peristilo	peristilio	peristýlium, -īī n.
Säule	column	colonne	columna	colonna	columna, -ae f.
p.404 Baustile	architectural styles	styles d'architecture	estilos arquitectónicos	stili architettonici	genera cōnstrūctiōnis
Dorische Säulenordnung	doric order	ordre dorique	orden dórico	ordine dorico	ōrdō columnarum dōricus
Akroterion	acroterion	acrotère	acrotera	acroterio	acrōtērion, -īī n.
Gutta	gutta	goutte	gota	goccia	gutta, -ae f.
Mutulus	mutulus	mutule	mútulo	mutulo	mutulus, -ī m.
Metope	metope	métope	metopa	metopa	metopa, -ae f.
Triglyphe	triglyph	triglyphe	triglifo	triglifo	triglyphus, -ī m.
Abakus	abacus	abaque	ábaco	abaco	abacus, -ī m.
Echinus	echinus	échine	equino	echino	echīnus, -ī m.
Halsring	annulet	annelet	collarino	collarino	ānulus, -ī m.
Kannelüre	flute	cannelure	estría	scannalatura	canālis, -is m.
Grat	arris	arrête vive	arista	spigolo	arista, -ae f.
Tambour	drum	tambour	tambor	rocchio	tympana, -ae f.
ionische Säulenordnung	ionic order	ordre ionique	orden jónico	ordine ionico	ōrdō columnārum iōnicus
Tympanon	tympanum	tympan	tímpano	timpano	tympanon, -ī n.
Sima	sima	cimaise	cimacio	sima	sīma, -ae f.
Zahnschnitt	dentil	denticule	dentículo	dentello	denticulus, -ī m.
Kranzgesims	cornice	corniche	cornisa	corniche	corōna, -ae f.
Fries	frieze	frize	friso	fregio	zōphorus, -ī m.
Faszie	fascia	fasce	banda de arquitrabe	fascia	fascia, -ae f.
Abakus	abacus	abaque	ábaco	abaco	abacus, -ī m.
Volute	volute	volute	voluta	voluta	volūta, -ae f.
Kannelüre	flute	cannelure	estría	scanalatura	canālis, -is m.

Steg	fillet	arête plate	filete	listello	stria , -ae f.
Torus	torus	tore	toro	toro	torus , -ī m.
Trochilus	scotia	scotie	escocia	scozia	trochilus , -ī m.
Stylobat	stylobate	stylobate	estilóbate	stilobate	stýlobatēs , -ae m.
Euthynterie	euthynteria	euthynterie	euthynteria	euthynteria	euthyntēria , -ae f.
p.405 korinthische Säulen- ordnung	corinthian order	ordre corinthien	orden corintio	ordine corinzio	ōrdō columnārum corinthius
Giebeldreieck	pediment	fronton	frontón	frontone	+frontispicium , -ī n.
Gebälk	entablature	entablement	entablamento	trabeazione	contignātiō , -ōnis f.
Architrav	architrave	architrave	arquitrabe	architrave	epistýlium , -ī n.
Kapitell	capital	chapiteau	capitel	capitello	capitellum , -ī n.
Schaft	shaft	fût	fuste	fusto	fustis , -is m.
Säule	column	colonne	columna	colonna	columna , -ae f.
Basis	base	base	base	base	basis , -is f.
Krepis	crepidoma	crépis	crepidoma	crepidine	crēpis , -idis f. crēpidoma , -atis n.
Modillon	modillon	modillon	modillón	modiglione	mutulus , -ī m.
Zahnschnitt	dentil	denticule	dentículo	dentello	denticulus , -ī m.
Rosette	rosette	rosette	roseta	elice	rosula , -ae f.
Volute	volute	volute	voluta	voluta	volūta , -ae f.
Akanthusblatt	acanthus leaf	feuille d'acanthé	hoja de acanto	foglia di acanto	folium acanthī
Astragal	astragal	astragale	astrágalo	astragalo	astragalus , -ī m.
Kannelüre	flute	cannelure	estriá	scanalatura	canālis , -is m.
Steg	fillet	arête plate	filete	listello	stria , -ae f.
Torus	torus	tore	toro	toro	torus , -ī m.
Mitteltorus	middle torus	filet	toro intermedio	toro centrale	torus intermedius
Trochilus	scotia	scotie	escocia	scozia	trochilus , -ī m.
p.406 römisches Wohnhaus	Roman house	maison romaine	casa romana	casa romana	vīlla rōmāna
Ziegel	tile	tuile	teja	tegola	tēgula , -ae f.
Fresko	fresco	fresque	fresco	affresco	opus tēctōrium
Compluvium	compluvium	compluvium	compluvio	compluvio	compluvium , -ī n.
Tablinum	tablinum	tablinum	tablinum	tablino	tablīnum , -ī n.
Balken	timber	charpente	viga	trave in legno	trabs , trabis f.
Peristyle	peristyle	péristyle	peristilo	peristilio	peristýlium , -ī n.
Garten	garden	jardin	jardín	giardino	hortus , -ī m.
Triklinium	dining room	triclinium	triclinio	triclinio	triclīnium , -ī n.
Küche	kitchen	cuisine	cocina	cucina	culīna , -ae f.
Latrinen	latrines	latrines	letrinas	latrine	latrīnae , -ārum f.pl.
Cubiculum	bed chamber	cubiculum	cubiculo	cubicolo	cubiculum , -ī n.
Mosaik	mosaic	mosaïque	mosaico	mosaico	opus tessellātum; opus mūsivum

Impluvium	impluvium	impluvium	impluvio	impluvio	impluvium, -ī n.
Laden	shop	boutique	tienda	bottega	taberna, -ae f.
Atrium	atrium	atrium	atrio	atrio	ātrium, -ī n.
äußerer Hausflur	vestibule	vestibule	vestíbulo	vestibolo	vestibulum, -ī n.
p.407 römisches Amphitheater	Roman amphitheatre	amphithéâtre romain	anfiteatro romano	anfiteatro romano	amphitheātrum rōmānum
korinthischer Pilaster	corinthian pilaster	pilastre corinthien	pilastra corintia	pilastro corinzio	+pilastrum corinthium
Pfeiler	mast	mât	mástil	montante	pīla, -ae f.
Ränge	tier	gradins	cávea	cavea	cavea, -ae f.
Velarium	velarium	velarium	velarium	velario	vēlārium, -ī n.
korinthische Halbsäule	engaged Corinthian column	colonne corinthienne engagée	columna corintia adosada	lesena corinzia	corinthia columna dīmidia
jonische Halbsäule	engaged Ionic column	colonne ionique engagée	columna jónica adosada	lesena ionica	iōnica columna dīmidia
dorische Halbsäule	engaged Doric column	colonne dorique engagée	columna dórica adosada	lesena dorica	dōrica columna dīmidia
Arkade	arcade	arcade	arcada	arcata	fornix, -icis m.
Arena	arena	arène	arena	arena	harēna, -ae f.
Tonnen-gewölbe	barrel vault	voûte en berceau	bóveda de cañón	volta a botte	concamerātiō sēmicirculāta
unterirdische Anlagen	underground	sous-sol	subterráneo	sotterraneo	subterrānea, -ōrum n.pl.
Zelle	cell	cellule	celda	cella	cella, -ae f.
Rampe	ramp	rampe	rampa	rampa	agger, -eris m.
Arena	arena	arène	arena	arena	harēna, -ae f.
Falltür	trapdoor	trappe	trampilla	botola	iānua dēcidua; iānua cadūca
Aufzug	lift	ascenseur	elevador	elevatore	anabathrum, -ī n.
Käfig	Cage	cage	jaula	gabbia	cavea, -ae f.

**Haec vocabula artium et architecturae
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

(Sequetur VOCABULORUM ARTIS ET ARCHITECTURAE PARS (III))

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM VICESIMAM SEPTIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Dominico, 26. m. Mart., a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>